

tam facile reiectus quam factus; siquidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est: Dixit et facta sunt. At vero qui me tantum et semel dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » Sic ille. Quoniam igitur in hoc septimo verbo quievit Christus ab opere redemptionis, videndum restat, quid illud mysterii et doctrinæ contineat.

I. Quæritur primo, quid sibi velit clamor, quocum expirat Dominus; siquidem Matthæus, Marcus et Lucas aiunt Dominum emissa voce magna expirasse. Prima causa, ut testetur dolorem ex mortis aculeo sibi inflictum, omnium acerbissimum, maxime quia per vim et violentiam inferebatur ei mors. Optimi semper sodales erant anima et corpus Christi, in nulla unquam re dissentientes, ideo non mirum, si ægre separabantur. De Jonatha filio regis Saul, dicitur, I. Reg. XVIII. quod fuerit anima ejus *conglutinata* animæ Davidis, et quod dilexerit eum sicut animam suam. Et idcirco, cum separari ab invicem deberent, ob iram Saulis Davidem persequentis, osculantes se mutuo fleverunt pariter, I. Reg. XX. Multo arctius conglutinata erat anima Christi corpori, non poterant igitur sine maximo doloris sensu ab invicem separari, quod tamen ob iram cælestis Patris fieri debebat. Et hinc clamor ille validus et lacrymæ in Christo (uti testatur apost. ad Hebr. III. utique de hoc ultimo Christi verbo intelligendus) ad Deum *qui possit illum salvum facere a morte*, fusæ.

Secundo, ut testetur nobis amorem suum et indefessum studium usque ad ultimum spiritum quærendi animas nostras, et congregandi sub alas suas, quemadmodum gallina rauca voce congregat pullos suos sub alas: vel quemadmodum ovis suo balatu vocat ad se agnum foris exerrantem. Hoc enim clamore testatur se pro filiis suis mori, monens ut ne defraudemus eum fructu mortis suæ sperato. Paternam hanc vocem agnovit centurio, qui videns, quia *sic clamans expirasset* Dominus, dixit: *Vere Filius Dei erat iste*. Nimirum: « Ex voce agnovit Filium Dei, (inquit S. Bern. serm. XXI. in Cant.) et non ex facie; erat enim fortasse ex ovibus, de quibus ait: Oves meæ vocem meam audiunt, cognosco meas, et cognoscunt me meæ. » Sic ille. Quia vero prævidit plurimos fore surdos ad ejus monita, idcirco fortiter clamat, quasi dicens id Is. XLII. *Surdi audite, et cæci intuemini*. Per triennium non cessavi, monens unumquemque vestrum; sed surdastros inveni plurimos, audite nunc sal-

tem ultimam hanc et maximam vocem meam, qua quodammodo lavo manus meas, et contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntialem omne consilium Dei vobis, uti dixit Paulus Ephesiis suis, ultimum valedicens, Act. XX.

Tertio, ut ostenderet potentiam suam, qua si vellet uti, etiam morti proximus facile posset mortem effugere, et hostes suos sternere. Ostendit autem potentiam hanc plusquam humanam primo, in eo, quod extremo spiritu tam magnam emisit vocem; siquidem homines morti vicini nequeunt clamare ob virium defectum naturalem. Non potuit deesse Christo etiam hic defectus, qui non repente, sed paulatim enectus, et tarde mori compulsus est, et tamen clamans expiravit, ut nemo non adverteret, clamorem hunc miraculo tribuendum, et a Deo ipso profectum esse, qui ab homine non posset. Et hoc etiam absque dubio centurio agnovit, qui ex insolito isto et naturaliter impossibili clamore Filium Dei agnovit. Secundo, in eo, quod hac voce terram movit, petras rupit, monumenta aperuit, velum templi scidit. Mox enim, ubi Christus sic clamans expiravit, subjungit Matthæus: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum: et terra mota est, et petrae scissæ sunt, et monumenta aperta sunt*. Quæ etiam causa accedebat, ut centurio cum suis Christum agnosceret: *Viso nimirum terræ motus, et his, quæ fiebant*, ut ait Matthæus, c. XXVII. Quare uti Samson moriens luculentius ostendit vires suas plusquam naturales esse, dum ambas cœnaculi columnas concutiendo totam domum subruit, quam unquam fecisset vivens: sic etiam Christus moriens fortiorem se ostendit, quam vivens, cœlum et terram commovendo, etc. ut ita Judæis innotesceret quam adhuc viribus polleret, quamque facile posset ad unum omnes conterere, si non salvare potius quam perdere animas venisset. Deinde, ut revera perderet Judæos obstinatos, id est, scinderet ad poenitentiam, quod et factum. *Omnis enim turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud*, ait Lucas, *et videbant, quæ fiebant, percutientes peccata sua revertebantur*.

Quarto, ut hoc clamore suo infernum tremefaceret, et prædam Satanæ eriperet. In altissima rupe prædam conspicatur leo, qua visa rugitum edit, quo territa animalia gradum figunt, quasi edictum regis sui expectantia, teste Anglico, I. XVIII. propriè. c. LXIII. Idem moriens terram mordet, et lacrymas fundit, teste Plin. I. VIII. c. XVI. Sic leo de tribu Juda rugiens e cruce commovit creaturas, et lacrymans in morte morsum infixit tartaro. *Clamat voce magna*, inquit Salmer-

to. X. tr. de pass. c. XL. *ut egregius de morte triumphator, ingeminans illud: Ero mors tua, o mors! Morsus tuus ero, inferne*. Itaque dum jam in prædam rugit quodammodo Dominus, ostendit advenisse tempus detrahendæ spolia inferno, et debellandi dæmones. Quæ res præfigurata fuit in illa mirabili victoria, quam obtinuit Josue de Madianitis, turbarum strepitu et lagenarum contritione. *Tunc enim territi Madianitæ, fugamque arripientes, non tantum a Josue cæsi sunt, sed et ipsi mutuis se vulneribus confecerunt*, Jos. VII. Itaque clamor validus tubæ instar fuit Christo, mors corporalis quasi contritio lagenæ; his armis aggressus dæmones triumphavit illos.

II. Quæritur secundo, cur in manus Patris commendavit spiritum suum? Non hoc fecit Christus quomodo nos commendamus animas nostras, quia non habebat Christi anima, quod sibi ullatenus metueret. Ad hæc non animam, sed spiritum, id est, vitam Patri commendat. Quamobrem ergo? Primo, facit id Patris causa, ut sic refundat spiritum ad Patrem, tamquam primum principium, non tantum totius divinitatis, ut ait S. August. I. IV. de Trin. c. XX. sed qui per appropriationem dicitur etiam creator omnium, et inspiravit spiraculum vitæ omnibus hominibus. Vitam igitur, quam accepit a Patre, ut creatore, eidem nunc committit, tamquam auctori et primæ causæ, quia ipse est alpha et omega, ut spiritus redeat ad illum, qui dedit eum, ut ait Ecclesiastes, c. XII. Quemadmodum ergo tota vita semper honoravit Patrem, omnia sua adscribendo non sibi, tamquam Dei Filio, licet hoc etiam facere posset, sed Patri, omnia in illum tamquam in primum refundendo fontem; sic etiam fecit moriens.

Secundo, facit hoc sua causa, ut sic spiritus vitæ innocentissimæ debito sibi asservetur loco. *Venit enim princeps hujus mundi, dixit Dominus post cœnam mox iturus ad passionem, et in me non habet quidquam*, Joa. XIV. q. d. ligabit quidem corpus meum funibus et catenis Judæorum; sed in spiritum meum nihil poterit, quia nihil in eo inveniet de suo. Idcirco Petrus, Act. II. dixit impossibile fuisse teneri eum ab inferno. Patrum animæ omnes grave aliquid secum hinc asportabant, et idcirco ad limbum descendebant; quia saltem aliquando peccato obnoxii fuerint. Non ita Christus Dominus. ejus spiritus totus erat cœlestis, sanctus, impollutus, ideoque cœlo debebatur, Patris asservandus manibus.

Tertio, facit id nostri causa, ut securissimo loco deponeret spiritum suum, quam paulo post in nostrum bonum potissimum resumpturus erat; siquidem *resurrexit propter justificationem*

II. PARS HIEMALIS.

nostram, ut ait apostolus ad Rom. IV. Unde S. Athanasius et Anselmus recte sentiunt commendasse Christum in manus Patris omnium fidelium animas, tamquam membrorum suorum, quæ in sua resurrectione vivificaturus erat, juxta id Os. VI. *Vivificavit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus*. Nec incommode Christus in suo spiritu comprehendit omnium spiritus, quia *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, I. Cor. XVI.

Docemur hinc imprimis cum Deo magno clamore loqui, hoc est, fervide, attente, serio, quemadmodum Christus hoc et quarto verbo locutus est ad Patrem. Et idcirco docuit nos Dominus orationem sic inchoare: *Pater noster, qui es in cœlis*; quo videlicet admoneamur fortiter et serio orare, qui ad Patrem quidem loquimur; sed tamen existentem in cœlis, hoc est, ad patrem non naturalem, qualis erat Christi Pater; sed talem, qui ex mera gratia nos adoptaverit, et qui simul etiam sit Deus et iudex noster. Propterea ergo David toties attollit clamorem in suis orationibus, dicendo: *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat*. Quod Ecclesia quoque ad imitationem ejus facit. Debet vero hic clamor cordis esse potius quam vocis. *Siquidem in Dei auribus*, inquit S. Bern. serm. XVI. in Ps. XC. *desiderium vehemens clamor magnus: e regione autem remissa intentio, vox submissa*. Et Aug. in serm. *Cum oras, inquit clama, non voce, sed mente*. Hoc clamore oravit Moyses, Exod. XIV. sine omni voce, et auditus est, cum e contra populus clamans a Deo non audiretur.

Secundo, magni facere Scripturam, eamque nobis applicare ut regulam vitæ nostræ. Quartum et ultimum verbum ex Scriptura desumpsit Dominus qui tamen supra Scripturam, ejusque dictator erat. Voluit ergo Dominus eadem lege et ipse uti, quam aliis præscripsit, ut non detrectaret servus ei se submittere. David certe de illa dixit, Ps. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*. Ut ergo Christus durantibus tenebris corporalibus his Scripturam allegavit, ita nos in tenebris mentis, quas offundunt nobis cupiditas et propriæ passiones, regere gressus nostros lucerna Scripturæ debemus. Ariadne Theseo saluberrimo consilio filum dedit, quo extricaret se e labyrintho; nobis Scripturam dedit Sapientia divina.

Tertio, providere nobis ipsis, antequam moriamur, non committere salutem nostram liberis vel amicis. Christus ante mortem suam commendavit se Patri suo, non cognatis. Et S. Petrus, I. Petr. IV. jubet, ut fideles *in benefactis commendent animas suas fidei creatori*: non ait nepotibus

aut liberis. In re tanti momenti, in qua nobis ipsi possumus consulere, credere se periculo et subsidiis amicorum, qui facile solent oblivisci defunctorum, valde temerarium et nimis supina est negligentia. M. Cato, ut referunt Stobæus et Plutarchus dicebat per omnem vitam trium se pœnituisse; quod numerari secretum aliquod commisisset, quod eo navigasset, quo pedibus ire potuisset, quod unam diem intestatus mansisset. At quid aliud facit, qui animæ suæ salutem commendat liberis et amicis? Nonne rem maximi momenti committit obliuio? Nonne eo navigat cum periculo, quo posset ire securus? Annon credit se periculo moriendi absque debita præparatione et confectis animæ rationibus? Quare non immerito toties monet Ecclesia per quadragesimam: *Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ.*

Quarto, mortis præsertim tempore solliciti esse de spiritu, non de corpore; nam si anima bene habuerit, bene etiam habebit corpus, quia tandem sequetur illam. Cum ursus in angustias redactus præcipitare se compellitur, caput pedibus anterioribus involvit, ut saltem id, quod habet imbecille, potissimum tamen est membrum, illæsum servet, teste Pierio, l. XI. hierogl. Ad eundem modum, qui per mortis præcipitium ruere debet, munit imprimis animam; non sit sollicitus de corpore. *Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua?* Ita S. Monica peregrino in solo morti vicina: *Ponite hoc corpus,* inquit ad filium Augustinum et alios amicos, (sollicitos de ipsa, quod extra patriam moreretur) *ubicumque: nihil vos ejus cura conturbet: tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis,* l. IX. confess. c. XI.

Quinto, commendare nos in manus Dei, in rebus dubiis et periculosis præsertim; uti ante s. communionem, et imprimis ante obitum. Quibus temporibus solet uti Ecclesia his iisdem verbis: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ante somnum quidem, quoniam nocturnis horis: inquit S. Basilius, in regulis fusius explic. quæst. XXXVII.) « Facile fieri potest, ut mors inopinata nos opprimat, commendamus animam nostram Domino, ut, si forte subitanea mors nobis adveniat, non adveniat improvisa. » Sic ille. Frater mortis est somnus, ut dixit Gorgias; ideo non fidendum illi, quin prius brevi, quasi testamento facto animas saltem nostras Deo commendemus. Nec movere te debet, quod raro contingat dormientem repente extingui; satis est, quod vel raro fieri possit. Ut enim excubiæ in castellis semper continuantur, tametsi nullum sit hostium

periculum; quia una hora perdi potest, quod æternum recuperari nequit; sic, etc. Ante communionem, quia accedimus ad mensam summi regis, ideoque merito *cultrum in gutture nostro* statuere debemus, uti monet Sapiens, Prov. XIII siquidem in tenui filo pendet ibi supra te mors et vita. Quia enim ambigere possumus ac sæpe merito debemus, utrum non indigne accedamus, ideoque in tam tremendo mysterio jure commendamus nos Deo. Si immineret capiti tuo gladius, quemadmodum parasito illi Dionysii tenui filo pendens, annon timeres et Deo te commendares? Non sumus usquequaque certi, num vesta nuptiali decente accedamus ad illam mensam, adeoque iudiciumne an vitam simus manducaturi. Proinde tunc Deo commendare nos decet, ut nostros defectus nobis vel ostendere, vel ipse supplere dignetur.

Ante mortem, quia passus ibi transeundus est omnium periculosissimus, in quo etiam sanctissimi quique timuerunt sibi. Nonne S. Stephanus moriens dixit: *Suscipe spiritum meum?* S. Nicolaus moriens nonne eundem illum Psalmum trigesimum recitavit usque ad versum; *In manus tuas, etc.* Quod si milites ante congressum clamores ad cœlum tollunt et opem Dei implorant: et si Judith arreptam Holofernis dormientis cervicem gladio abscissura prius oravit eum lacrymis: *Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum,* Jud. XIII. quanto magis id necessarium, quando pugnam inituri sumus cum atrocioribus, et nequaquam dormientibus hostibus, qui tunc animæ insidiantur?

§ XL. — CHRISTUS INCLINATO CAPITE EMISIT SPIRITUM.

I. Ut Patrem veneratur. — II. Ut indicaret se volentem mori. — III. Ut obedientiam Patri præstaret. — IV. Ut humilitatem suam ostenderet. — V. Ut Adamo osculum infigeret. — VI. Ut monstraret passionem suam præponderare peccatis nostris. — VII. Ut paupertatem suam nobis commendaret. — VIII. Ut postulatis nostris annueret.

THEMA.

Inclinato capite tradidit spiritum. Joan. XIX.

Præceperat Deus Moysi in primo Levitici capite ut cum turtur aut columbæ pullus offerendus ad altare esset, retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco decurrere faceret sanguinem super crepidinem altaris; sic enim (ut subjungitur) *holocaustum id fore et oblationem suavissimi*

caoris Domino. Videre mihi videor hodie completam hanc figuram, dum aspicio in cruce columbæ illius castissimæ, Mariæ pullum in aere, omni prorsus peccati felle carentem, Christum eumque retorto ad collum capite, ac rupto de latere sanguine manentem, holocaustum suavissimi odoris Domino. Adnitamur ergo pro viribus causas investigare, cur inclinato capite spiritum emisit.

I. Ut Patrem adoraret et cæremonia illi veneretur. Frequens est in Scriptura hic adorandi venerandi modus, inclinatio nimirum, ut Gen. XXIV. I. Reg. XXVIII III. Reg. I. etc. isque non Deo solum, sed et regibus exhiberi solitus. Qui cum rege agit sive quid ei offerendo, sive gratias agendo, caput inclinat; hoc fecit ergo Christus, qui jamjam tradens spiritum Patri tamquam depositum illius, necnon redemptionis nostræ pretium illi acceptum refert, eique totum describit, unde in gratiarum actionem caput ei venerabundus inclinat. Triumphatores Romani capitulum ascensuri Jovi pro impertita victoria gratias agebant supplices, ut refert auctor antiquitat. l. X. c. XXIX. Fecit hoc etiam Christus, quod per capitis demissionem nobis expressit; pro devicto scilicet tenebrarum principe et mortis doloribus, quos antea expaverat. Ita incurvatus est rex Ezechias cum finita esset oblatio facta in expiatione templi, II. Par. XXIX. Accurrerunt sine dubio ad hoc triumphi spectaculum omnes cœli milites. Accurramus et nos Christiani et videamus rem hactenus inauditam: Deum coram Deo se inclinantem.

Porro non tantum in accessu, sed etiam in abscessu personis honoratis caput inclinatur; unde fas est credere, per eam cæremoniam voluisse suis amicis Christum valedicere. Valedicere imprimis matri, quæ in utero eum gestavit, uberibus lactavit, sollicitè educavit, ardentissime semper amarit, ad extremum denique halitum fortissime comitata sit. Valedicere discipulis, qui eum prompte secuti, sollicitè auscularint, coram aliis confessi sint, cum eo denique in tribulationibus permanserint. Valedicere novercæ suæ synagogæ, quæ dederit ei pro pane maledicta et opprobria; pro vino fel et acetum; pro corona spinas; pro scepro arundinem; pro purpura chlamydem coccineam; pro osculo verbera et alapas; pro lecto denique crucem. Valedicere toti mundo, qui ei in domo sua non concesserit hospitium, qui factorem suum tam misere tractavit, miserius exturbarit. O durum vale! Cœlum luget, petræ dirumpuntur, velum scinditur, monumenta aperiuntur in ultionem ingratorum; solus non permovetur homo!

II. Ut indicaret mortem se lubenti subire animo, adeoque non necessitate, sed voluntate mori. Ita Cyrillus, l. XII. c. LXXVI. Chrysost. hom. LXXXIV. August. tr. CXIX. Theophil. et alii. Qui significant homines cæteros prius mori, postea inclinare caput, quia necessitate moriuntur: Christum prius inclinasse caput, postea mortuum esse, quia voluntate est mortuus. S. Augustin. loco cit. ait Christum deposuisse vitam, veluti cum quis deponit vestem, quæ suo arbitrio et deponere potest et accipere. Sic enim dixit ipsemet Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam,* Joan. X. Auctor quæstionum ad Antioch. quæ Athanasio tribuuntur, addit formidasse mortem Christo appropinquare, ideoque ab eo, capitis inclinatione velut nutu vocatam esse. Certe vel ipso Pilato teste nihil morte dignum Christus gesserat, nil igitur erat, quod in illo mors requireret. Timuerunt mortem sanctissimi quique viri, Hilarion, Agatho, alii: quia ut hic dicebat: *Alia sunt hominum judicia, alia Dei.* Non timuit mortem Christus, quin potius eandem ad luctam provocavit, quia nihil dignum morte actum a se scivit, ideoque se illa longe superiorem esse. Quare, o Christiani, si mortem non timere, si denique vincere cupimus, Christum nobis associemus, fortissimum athletam et mortis domitorem.

III. Ut obedientiam præstaret Patri postremam, qui juxta id (Phil. II.) factus est obediens usque ad mortem, ait S. Bernar. serm. de passione Domini fer. IV. hebdom. pœn. Sic enim et Moyses velut figura Christi jubente Domino mortuus est, Deut. XXXII. Videre sæpe est catellos adeo morigeros ut ad virgulæ minas illico ad pedes domini demisso advolvantur capite, ultro se ad verbera quodammodo offerentes. Talem nunc in cruce Christum cernimus; qui intentanti sibi mortem Patri pronus et supplex advolvitur eam excepturus. Videtur hoc ipso gestu respondisse, quod aliquando dixerat in spiritu, tacite respondens voluntati Patris, qui eum morti destinarat pro salute nostra: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, ut videlicet morerer.* Et quod Ps. XXXIV. dicitur: *Holocaustum et pro peccato non postulasti,* (q. d. noluit admittere sacrificia veteris testamenti pro expiatione peccatorum) *tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.* Sane in capite crucifixi inclinato scriptam legimus hanc ejus obedientiam. Apud gentiles sacerdotes aquam infundere in aurem victimæ consueverunt, ut illa annuat illis sacrificiis, inquit Myrtill. l. II. rerum Lesbicarum: *Christus ergo victima pro ge-*

nere humano annuens voluit mori, ut ostenderet se ex obedientia libenter et voluntarie mori. Discite, auditores, aspera quæque libenter pati, etiam mortem ipsam, discite obedire.

IV. Ut humilitatem suam item ad finem usque conservatam declararet et doceret. Videbat supra caput suum splendissimum regis titulum, qui ei et jure debebatur et singulari Dei providentia ~~conscriptus~~ et servatus fuit. Sed quia toto vitæ suæ decursu titulos fugiebat et honores, uti Joan. VI. ~~non~~ se abscondit ne raperetur et rex crearetur; ita in morte quoque illos respuit ideoque caput a titulo regio averit. Placatus fuit Deus, quando (III. Reg. XXI.) vidit Achab humiliatum et ambulasse demisso capite; quomodo non placatus sit, cum vidit inclinatum capite Filium suum, qui contra Patrem nunquam id exererat? Sed quid est quod adeo se submitit? Nimirum scelera nostra caput ejus gravarunt. Quod si David propriis tantum peccatis ita pressus fuit, ut diceret Ps. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Et mox: *Miser factus sum et curvatus sum;* quid mirum si peccata totius mundi Christum depresserunt; docemur etiam hic opus esse ut humilitas vitam claudat. Ut enim custos gregis nisi postremus incedat, facile perdit pecudem; ita nisi humilitas, quæ virtutum omnium custos est, virtutum claudat agmen ad extremum usque spiritum, omnes dispergentur. *Qui sine humilitate virtutes congregat,* ait Greg. in explicat. III. Ps. *pœnit. quasi inventum pulverem portat.* Quæ causa est ut David præ cæteris metueret ne in fine surperbiæ stimulis agitatus merito suo privaretur. Hinc ait Ps. XXXV. *Non veniat mihi pes superbiæ et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Manus peccatoris diaboli tentatio est; sed pes superbiæ elatio mentis vitam claudens quæ merita omnia evacuat. Ibi ceciderunt multi; igitur ne veniat tibi pes superbiæ, vide ut inclinato capite ambules ad mortem usque. Angusta est et humilis cœli janua; igitur per eam ingressurus Christus inclinat caput; qua quidem inclinatione viam cœli nobis demonstrat, videlicet humilitatem.

V. Ut Adæ subter se sepulto osculum reconciliationis, et simul toti humano genere infigeret. Ita S. Aug. I. de virgin. Sepultum fuisse in Calvarie monte Adamum sentiunt multi patres: Origenes, hom. XXXV. in Matth. Hieron. in epitaph. Paulæ ad Marcellum. Chrys. Ambros. Athanas. Epiphani. Quare ut per Christi passionem, Deum homini reconciliatum esse ostenderet, caput suum veluti osculaturus hominem de-

misit: sicut cum alter in alterum propendet, in eum inclinatus dicitur ut II. Macch. XXIV. Nicanor in Judam. Caput miseriæ nostræ Adam, caput salutis nostræ Christus fuit. Ut igitur terram cœlo reconciliatam esse intelligamus, vitæ et mortis auctor se mutuo amplexantur. Venit Christus *quærere et salvum facere quod perierat,* Luc. XIX. Perdiderat vero Adamum decimam illam drachmam; quærebat igitur demisso capite, et hic tandem inventam osculatus est, et simul lucernam vitæ suæ extinxit, quam accenderat in hunc finem. Qua in re diversum illius a viris sanctis studium fuit. Viri sancti morituri oculos ad cœlum dirigunt, quia prædam ibi suam venari satagunt. Ita S. Stephanus sub lapidibus *intendens in cœlum vidit gloriam Dei,* Act. VII. Ita S. Martin. moribundus ait: *Sinite me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur;* ut habetur in ejus officio lect. VI. Nimirum isti falconum instar prædam suam in cœlo quærebant. Christus vero milvi instar oculis et capite in terram fixis, prædam in terra quærebat, hoc est, non tam sibi acquirere gloriam, quam hominum, ob quos venerat, procurare salutem intendit. Nec in terra solum sed et infra terram in limbo patrum prædam quærebat; cui limbo quodammodo minatus est hoc gestu despoliationem, juxta id Osee XIII. *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne!*

VI. Ut palam demonstraret meritum passionis suæ peccatis nostris longe præponderare. Desiderabat dudum Job et cum eo universum genus humanum: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: et calamitas, quam patior, in statera.* Quasi arena maris hæc gravior appareret, Job. c. VI. Hæc erat hora, hoc momentum, quo Christo jam ultimum trahente spiritum et merita sua Patri repræsentante, appensa sunt in cruce (quam Ecclesia in hymno stateram corporis Christi nominat) peccata nostra et calamitas seu passio Christi, quæ et nostra participative. Peccata nostra crux repræsentabat quia arboris vitæ typus erat, merita et passionem suam Christus repræsentat. Non incurvatur crux, sed caput Christi exedit. Incurvatur vero in cruce Christus, dum inclinato capite præponderat et lancem meritorum deprimit. Ita S. Bern. serm. II. pasc. serm. de duobus discipulis, etc. « Crux, inquit, facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus. Ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelior cœlis conversatio ejus; non enim peccatum

fecit nec inventus est dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus in cruce pati, præponderare cepit calamitas, et crimina levigari. Cum adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plene cognoscebatur, quo cadere deberet; inclinato tamen capite emisit spiritum, ut calamitas præponderando caderet et quasi arena maris gravior appareret. » Hæc Bern. Quod si Christi merita in articulo mortis illius ponderata sunt a Deo, id ipsum ne dubita eveniet tibi in morte tua. Vide igitur quisquis es, ut et tu præponderes et capite inclinato hinc discedas, ne audias et incurras horrendum illud Balthasaris judicium: *Appensus es in statera et inventus es minus habens,* Dan. IV.

VII. Ut paupertatem suam extremam nobis commendaret, dixerat de se Christus, Luc. IX. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Cum ingrederetur mundum foveam non reperit, quia non erat ei locus in diversorio, ideo reclinatus in præsepio bestiarum hospitio usus est. Cum jam in aere pendulus e mundo vult excedere, jam nec nidum in arbore crucis reperit, ubi requiesceret, ideo inclinat caput et in aere pendulum relinquit. Magnæ paupertatis erat Jacob, cum volens requiescere longo itinere fatigatus, non habuit nisi lapidem quem supponeret capiti suo, Gen. XXVIII. Sed major multo est paupertas Christi, qui longissimo vitæ et passionis itinere exhaustus, cupiens tandem vel in cruce requiescere, ne lapidem quidem habuit in quo requiesceret. Videte vos, o vulpes et aves, avari et ambitiosi, inquam, qui foveas vestras in thesauris, nidos in dignitatibus ædificatis, quam dissimiles Christo sitis? Consolamini vos, o pauperes, qui ubi pedem ponatis in hoc mundo, non habetis, quia dux, antesignanus et frater vester Christus est.

VIII. Ut petitionibus nostris annueret. Aversus olim ab orationibus nostris videbatur Deus, quem admodum conqueritur sæpius David, Ps. XII. *Usquequo avertis faciem tuam a me?* Et Psal. LXXXVII. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?* Nimirum in profundo hærebamus et lethali infirmitate opprimebamur; quid mirum si vox nostra ab excelso Deo non audiebatur? Id considerantes viri sancti ad Deum sedulo clamabant ut se ad nos inclinaret. Ita David, Ps. XVI. *Inclina aurem tuam mihi et exaudi verba mea.* Id ipsum petit, Ps. XXX. et LXX. et LXXXV. et LXXXVII. Ita Ezech. Isa. XXXVII. *Inclina, Domine, aurem tuam et audi.* Ita Baruch. c. II. *Inclina aurem tuam et exaudi nos.* Dan. c. IX. *Inclina,*

Deus meus, aurem tuam et audi. Porro ut advertit Euthym. in Ps. XVI. inclinatur auris, cum inclinato capite alicui exilis vocis condescendimus; ut solet medicus ægro, procerus humili. Quod igitur antea obtineri a Deo non poterat, hoc a Christo in cruce obtentum est, cum inclinato capite aurem quoque suam petitionibus nostris inclinavit; neque ad id solum ut audiret, verum etiam ut in causam nostram propenderet atque adeo assentiretur nobis, propterea non aures, sed aurem inclinavit, dum ad dexterum latus, (ut picturæ Crucifixi innuunt et verisimilius ait Baradius ad c. XIX Joan.) caput inclinavit. Videtur mihi nunc Samson noster Christus jamjam dormiturus in sinu uxoris suæ Ecclesiæ caput reclinare, Jud. XVI. ut sicuti arbore in terram inclinata fructus ejus diripiuntur; ita liberum sit cuique petere et impetrare a Christo, quæ cuique salutaria. Videtur mihi Elias igneo crucis curru jamjam tollendus a nobis velut Elisæo dicere: *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te,* ut habetur IV. Reg. II. Igitur quando res ita se habet; quod si, Domine, bonis forte temporibus et amicis exuti ad inopiam redigeremur; num tu velles curam nostri gerere? Inclinat caput et annuit. Quid si morbis et infirmitatibus opprimeremur; num tu opem, robur et solatium dare nobis velles? Inclinat caput et annuit. Quid si forte a charitate excideremus tua, num tu gratiam tuam pœnitentibus rursus impertire velles? Inclinat caput et annuit. Quid si forte, quod avertas, enormiter te offenderemus; etiamnum velles? Inclinat caput et annuit. Quid si fortasse septuagies septies in die peccarem; idne etiamnum velles? Inclinat caput et annuit. Quid si cum morte luctari aliquando debeamus; num tu manum nobis auxiliatricem porriges? Inclinat caput et annuit. Quocirca prociadamus nunc et dicamus: *Sedenti in throno et agno benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

XLI. — PRODIGIA IN MORTE CHRISTI.

I. Defectio solis. — II. Scissio veli templi. — III. Terræ motus. — IV. Scissio petrarum. — V. Apertio monumentorum et resurrectio multorum. — VI. Fructus prodigiorum: 1. Centurio convertitur. 2. Omnis turba percussit pectus. — VII. Stant a longe noti ejus.

THEMA.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, etc.
Matth. XXVII.

Gravissimis de causis varia in morte Christi, tam in cœlo quam in terra facta sunt prodigia.